

simos. Sed, quum vitia liquorum spontanea semper trahat secum, de hisce ante vulnera agendum erit, quae nosci debent ante historiam vulnerum absolvendam.

57. Unde agetur primo de his Humorum morbis, qui in illis nascuntur sponte; dum vel sibi ipsis permittuntur, nulla habita ratione vasorum, vel vitio incitati, torpentisve nimium, vitalis motus.

DE SIMPLICISSIMIS HUMORUM VITIIS, ET SPONTANEIS.

58. **H**umores in homine vivo reperiendi, vel crudi assumptorum naturam retinent haecenus, vel vi actionum naturalium, & miscela fluidorum humanorum, indolem acquisiverunt nostris liquoribus similem.

59. Priores (56.) vel ex plantis, vel ex aliis sunt hausti animalibus.

MORBI SPONTANEI EX ACIDO HUMORE.

60. **L**iquida nostra, confecta ex plantis farinosis, vel ex horaeis fructibus, crudis, fermentatisve, si vires vitae nostrae vincunt, eam in nobis indolem acqui-

acquirunt, quam suae naturae per calorem foetae debent. Acrimonia acida, & glutinosum pingue hinc oriuntur maxime. Prior ex fermentatis inprimis & non fermentatis: posteriore ex farinosis cerealibus, vel leguminosis, non fermentatis, neque coctis nascitur; quo spectant etiam illa, quae austeri adstrictu tenacitatem humorum creant.

61. Acida haec acrimonia (60.) causas habet antecedentes 1. alimenta ex farinosis, succulentis acidis, recentibus, crudis, ferventibus jam, vel fermentatis, vegetabilium partibus. 2. Inopiam boni sanguinis in corpore haec alimenta assumente. 3. debilitatem fibrosae compagis (24. 29. 41.) vasorum & viscerum. 4. defectum animalis motus.

62. Sedem habet jam nata maxime primae digestionis officinas, inde tardius sanguinem, denique omnes humores inficit.

63. Producit ructus acidos, famem, morsum ventriculi, dolores iliacos, flatum, spasmos, inertiam bilis, mutationem ejus variam, chylum acidum, faeces alvi acidum spirantes, haec ejus effecta in stomacho, & intestinis.

64. In sanguine pallorem, serum chylolum acidum; hinc foeminis lac acidum,
aut

aut potius nimium acescens, sudorem acidum; salivam acidam, producit; inde pruritus, obstructions, pustulae, ulcera, lactis prompta nimis, quin & forte ipsius quoque sanguinis coagula, & ad circuitum ineptitudo exsurgunt, tum irritamenta cerebri, nervorumque; unde convulsio, turbata circulatio, mors.

65. Ex his (60. 61. 62. 63. 64. 65.) recitatis praesens, futura, praeterita cognoscitur acida temperies; hinc praenoscuntur ejus effecta; hinc curatio scitur.

66. Quae perficitur: 1. alimentis acido oppositis ex animalibus, vegetabilibusque. 2. succis bono sanguini similibus ex avibus rapacibus. 3. roborantibus. 4. motu valido. 5. medicamentis acidum absorbentibus, diluentibus, obtundentibus, immutantibus.

67. Quorum electio, praeparatio, dosis, applicatio tempestiva, innotescunt Medico ex cognito malo, ejus sede, aegrotante, &c.

68. Hinc patet cur pueris, pigris, virginibus, pauperibus, & certis artificibus, hic morbus familiaris sit?